



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,  
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

**Rhodes, Georges de**

**Lvgdvni, 1671**

III. De iustitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)



## QUESTIO III.

## De iustitia.

Aristoteles lib. 5. Ethic.

**I**ustissime patet iustitiæ tractatio, quia utilitas eius totam amplectitur vitam: unde illam eleganter Philo lib. de creatione Principis appellat expultricem caliginis, clarissimum vitæ lumen, & factitium solem. Explicat eam accuratè Philosophus lib. 5. Ethicorum, & quatuor de illa tradit; naturam & propriam definitionem, cap. 1. & 2. diuisionem & proprias species, cap. 3. & 4. obiectum, cap. 5. 6. 7. actus & proprietates, ad finem libri. Ego breuiter eodem ordine ista explico, subiungens vitia opposita, & annexas virtutes.

## SECTIO I.

## Quidditas iustitiæ propria.

Arist. 5. Ethic. cap. 1. &amp; 2.

Iustitiæ definitio.

**I**usti rectè potest iustitia sumpta vniuersim, in iustitiam legalem, & iustitiam strictè sumptam.

Dico primò, iustitiam vniuersim sumptam rectè à Philosopho definiri, *Est virtus quâ homines agunt & volunt iusta.*

Ratio est, quia tripliciter homo iustus dicitur. Primò, qui complexionem habet omnium virtutum; omnis enim virtus iustitia quædam est, quia iustum dicitur quod est æquale ac commensum regulæ, cui debet commensurari: nulla est virtus, quæ non sit adæquatio & conformitas cum recta ratione: igitur nulla est virtus, quæ non sit quædam iustitia: ergo complexio virtutum rectè appellatur iustitia; quod in Scripturis sacris, & apud SS. Patres frequentissimum est. *Iustitia est*, inquit Anselmus dialogo de veritate, cap. 13. *rectitudo voluntatis seruata propter seipsam.* Secundò iustus appellatur, qui legitime facit, seu qui latas in Republica leges obseruat, & illis cummensas actiones habet; conformitas enim illa cum legibus honesta est & laudabilis, appellaturque iustitia legalis, quam verè Philosophus appellat virtutem perfectissimam, & omnem virtutem; legum autem transgressionem esse omnem iniquitatem, quia nulla est virtus, quam leges non imperent. Est autem perfectissima virtus, quia perfectæ virtutis est vltus; cum non ad se solum, sed etiam ad alium sit. Optimus enim ille est, non qui ad seipsum, sed qui ad alium vitur virtute; hoc enim est opus difficile. Complures enim in propriis quidem vii virtute possunt, sed in iis quæ sunt ad alium, nequeunt. Vnde rectè aiebat Bias: *Magistratus virum ostendet.* Tertiò iustus appellatur, qui æquus est, seu qui non est plus auidus; non enim plus capit quàm docet, sed reddit cuique quod suum est; hæc enim propria est & stricta iustitia, quæ inclinatur ut velis & præstes ea, quæ alteri debes; & iuri eius ex æquo respondet.

Rectè igitur iustitia vniuersim sumpta describitur à Philosopho, quâ homines volunt & agunt iusta; iustitia enim est quâ vel habemus omnes virtutes, vel quâ leges obseruamus, vel quâ ius suum cuique reddimus. Sed hoc est velle & agere

**A** iusta, & commensa regulæ rectæ: ergo iustitia rectè definitur, quâ homines volunt & agunt iusta.

Dico secundò, iustitiam legalem rectè definiti ex mente Philosophi, virtutem specialem, quæ inclinatur ad obseruationem omnium legum, quatenus id conducit ad bonum commune Reipublicæ.

**B** Ratio est, quia ibi specialis est virtus, vbi datur propria honestas, quæ nulli alteri virtuti conuenit: iustitia legalis specialem respicit honestatem, quam alia nulla virtus respicit; honestum enim est & laudabile velle ac procurare bonum commune Reipublicæ, quod etiam priuatus quilibet tenetur præferre bono proprio; pars enim est propter totum, & bonum partis est propter bonum totius. Illud est motium formale propter quod iustitia legalis vult & procurat obseruari leges, tum à se, tum ab aliis: ergo iustitia legalis est virtus specialis. Cuius materiale obiectum est omnis virtus; quam leges præcipiunt; formale est commune bonum: proprius actus est procurare ut leges ferantur, ut incolumis stet Respublica. Vnde dixit Philosophus, iustitiam legalem non esse partem virtutis, sed vniuersam virtutem: & ex Theognide refert, quod in iustitia summam est omnis virtus; quia scilicet obiectum materiale iustitiæ huius est vniuersa virtus; sed speciale tamen est obiectum eius formale: vnde ait Philosophus, virtutem in genere, & virtutem legalem esse idem re, scilicet materialiter; sed differre τὸ εἶναι, id est essentia & ratione formali; quia motium habet speciale distinctum à motiis omnium aliarum virtutum; debetum videlicet, quo partes qualibet Reipublicæ tenentur curare bonum illius totius, cuius sunt partes; quod est debitum maius debito pietatis, in quo ratione beneficii ortus obligamur parentibus & patriæ consulere; vnde iustitia legalis differt à vniuersa pietatis, & illa maior est ac perfectior.

**C** Dico tertiò, iustitiam strictè sumptam, prout est specialis virtus, rectè definiri, *Est constantis & perpetua voluntas irribuendi cuique suum ius.* Id est, virtus inclinans ad ponendum æquale cum eo quod strictè alteri debetur.

**D** Ratio est, quia ponere æqualitatem cum eo quod est strictè debitum alteri, specialem habet honestatem, quæ non conuenit vlli alteri virtuti; temperantia enim modum ponit passionibus appetitibus concupiscibilis; fortitudo temperat passionem irascibilis; iustitia regulat actiones, quibus ius alterius adæquatur. Vbi video explicari debere etiam. Primò, quid significet ius, siue strictum debitum: secundò quid significet adæquatio & æqualitas: tertiò quid sit illud alterum. Pendet enim ex his tribus tota quidditas propriæ iustitiæ, & eius distinctio ab omni alia virtute.

**E** Primò, ergo nomen iuris, licet diuersa significet, propriè tamen hic significat rationem propter quam aliquid alteri sic debetur, ut si non fiat, inferatur iniuria, id est contrahatur obligatio restituendi, aut satisfaciendi: soletque definiri, *Legitima potestas ad rem aliquam aut functionem*: cuius potestatis violatio infert iniuriam, quia creat obligationem ad satisfactionem aut restitutionem; hoc enim est ius, seu debitum strictum, cum quo iustitia perfecta omnimodam ponit æqualitatem. Aliæ videlicet plures virtutes respiciunt ius morale, quod qui violat, non propterea obligatur ad satisfaciendum aut restituendum: sola iustitia strictè sumpta respicit & adæquat ius illud, ex cuius violatione talis nascitur obligatio.

Secundò,



Secundò, iustitia perfectam cum stricto illo iure ponit æqualitatem; quia per actionem illam, quæ ponitur à iustitia, sic exhaustitur totum illud quod alteri debebatur, ut ille sine iniuria non possit aliquid ulterius exigere; non enim ad actionem iustitiæ sufficit, ut facias quantum potes, sed requiritur ut facias quantum exigere alter potest sine iniuria. Ideo religio erga Deum, pietas erga patriam & parentes, iustitia legalis erga totam communitatem deficiunt à vera ratione iustitiæ; quia non possunt omnino adæquare id quod debetur; Deus enim sine iniuria semper exigere posset plura & plura. Ius autem alterius adæquat iustitia stricta, neque potest ab ea exigi aliquid ulterius à creditore, alioqui non est vera iustitia.

Tertiò iustitia respicit alterum, idest personam quæ habeat ius distinctum à iure illius, qui debet; id est personam, quæ ita sit sui iuris, ut ille qui debet, non sit dominus totius iuris personæ, cui debet; hoc enim ad rationem iustitiæ requiritur, alioqui non respiciet ius strictum, quod si violatur, fiet iniuria; nemo enim facit iniuriam alteri utens iure suo. Sed neque adæquabit illud ius, alioqui aliquid sibi adderet & subtraheret.

Ex quibus colliges primò, totam definitionem & quidditatem iustitiæ; est enim virtus ponens perfectam æqualitatem cum eo iure alterius, quod violari non potest sine iniuria. Neque in ea definitione committitur circulus, quia iniuria quæ ponitur in definitione iustitiæ, non definitur per ipsam iustitiam, sed est actio, ex qua nascitur obligatio restituendi, aut satisfaciendi, ubi nullus committitur circulus.

Colliges secundò, nullam etiam esse posse iustitiam propriam Dei ad homines, aut hominis ad Deum, eiusdem ad se ipsum, filiorum in parentes ut tales, dominorum in mancipia, & mancipiorum in dominos: quia in his omnibus vel non est ius strictum, vel non est adæquabilitas iuris, vel non est alteritas iurium, ut secunda secunda probavi latius. Hinc etiam fit, ut à perfecta ratione iustitiæ deficiant illæ virtutes, quæ appellantur partes potentiales iustitiæ, ut sunt amicitia, gratitudo, religio, & aliæ plures; nulla enim earum respicit ius illud strictum, proprium perfectæ iustitiæ.

Colliges tertiò, materiale obiectum iustitiæ omnino immediatum esse actionem quamlibet externam, quæ tribuitur alteri quod suum est, siue commutationes aut distributiones: quia circa huiusmodi actiones immediatè versatur actus elicitus iustitiæ, qui reddit cuique quod suum est: obiectum autem formale esse ipsam æqualitatem cum iure alterius, siue actionem propterea æqualem iuri stricto, quod alius habet. Iustum enim, & æquale idem sunt, quia utrumque significat id quod est medium inter excessum & defectum; unde dicitur iustitia in hoc differre ab aliis virtutibus moralibus, quod illæ respiciunt semper solum medium rationis, iustitia verò respicit etiam ipsum medium rei, quod apud omnes semper est idem; nam in iustitia nullum est medium rationis, quod non sit etiam medium rei.

Colliges quartò, quomodo definiatur iniustitia, quæ vocatur etiam iniuria; patet enim illam esse actum, quo ponitur inæqualitas cum stricto iure alterius; opponitur enim iustitiæ, quæ ponit æqualitatem cum stricto iure alterius. Unde concluditur veritas receptissimi axiomatis, quod

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

A iniuria propriè dicta fieri non potest volenti & consentienti, ut latè probat Philosophus cap. 9. quia iniuria est violatio iuris; sed ius illius qui vult & consentit, nunquam violari potest. Ius enim est facultas disponendi de re aliqua pro ut vult: qui autem facit quod alter vult, non violat facultatem disponendi de re illa pro ut vult; alioqui faceret id quod alter vult, & id quod non vult: ergo qui facit id quod alter vult, non violat eius ius, neque illi facit iniuriam propriè dictam. Scio multa & difficilia opponi; sed eorum solutio pender à definitione iniuriæ propriè dictæ.

## SECTIO II.

Divisio iustitiæ in proprias species.

Aristot. cap. 3. & 4.

Constat ex iis quæ dixit Philosophus cap. 1. & 2. iustitiam sumptam uniuersim diuidi in iustitiam legalem, & iustitiam strictè ac propriè dictam: sub finem autem capitis secundi diuidit iustitiam strictè sumptam in duas species, commutatiuam & distributiua; quæ diuisio, iuxta Philosophi mentem ut intelligatur, ex cap. 3. & 4. Primò explicandum est, quid illæ significant: deinde videndum, an illæ sint species huius virtutis essentialiter distinctæ; denique, utrum aliqua etiam alia virtus propriam rationem habeat iustitiæ.

Dico primò, iustitiam commutatiuam illam esse, quæ versatur in commutationibus & commerciis hominum, ponendo in illis æqualitatem arithmetica: iustitiam distributiua esse illam, quæ versatur in partitione bonorum communitatis, ponendo in illis æqualitatem geometricam.

Rationem habet Philosophus explicans geminam illam æqualitatem: alia enim est arithmetica, seu æqualitas quantitatum; alia est geometrica, seu æqualitas proportionum. Arithmetica est æqualitas rei ad rem: debes decem, & totidem restituis, ponis æqualitatem arithmetica. Geometrica est similitudo proportionis cum proportionem. Petrus v. g. dignitatem habet duplò maiorem quam Paulus; si detur Petro triplò maior portio bonorum communium quam Paulo, ponitur æqualitas geometrica.

Proportio ergo est similitudo cum aliqua dissimilitudine; proportionalitas appellatur similitudo proportionum: cum autem similitudo sit inter plura, omnis proportionalitas includere necessariò debet quatuor terminos. Et hoc contingit vel realiter, & est proportionalitas disiuncta, in qua vnus terminus non repetitur, ut cum dico, Sicut se habet binarius ad quaternarium, ita se habet ternarius ad senarium. Vel virtualiter, & est proportionalitas coniuncta, in qua vnus terminus repetitur, ut cum dico, Sicut se habet binarius ad quaternarium, ita se habet quaternarius ad octonarium.

Rursus autem proportionalitas, vel spectat æqualitatem proportionum inter numeros secundum se spectatos, & est æqualitas geometrica, in eadem est proportio minoris extremi ad medium, quæ medijs ad maius extremum, ut in exemplis quæ attuli; Sicut se habet binarius ad quaternarium, sic se habet ternarius ad senarium: ubi comparantur inter se numeri sumpti secundum se. Proportionalitas autem arithmetica similitudo est proportionum inter numeros

DDd 3

spectatos

Iustitiæ  
vniuersim  
sumptæ  
diuisio.

Iustitiæ  
commuta-  
tiua.

Proportio  
& propor-  
tionalitas.



spectatos quoad differentiam, non autem secundum se; quando scilicet eadem est proportio differentiae, quae est inter minus extremum & medium, ad differentiam, quae est inter medium, & maius extremum; ut cum dicitur, *Qua est proportio binarii ad quaternarium, eadem est proportio senarii ad octonarium*; vel, *Qua est proportio binarii ad quaternarium, eadem est proportio quaternarii ad senarium*. Sicut enim quaternarius superat binarium uno binario; sic senarius uno binario superat quaternarium. Vides enim posse proportionalitatem hanc esse vel coniunctam, vel disiunctam. Unde debet colligi, quod aequalitas geometrica est inter numeros spectatos secundum se; arithmetica inter numeros spectatos quoad differentiam: prima enim est similitudo secundum proportionem numerorum secundum se spectatorum; altera est similitudo secundum quantitatem differentiae numerorum.

Accommodari ergo id potest ad iustitiam, quia distributiva respicit aequalitatem geometricam disiunctam, in qua sicut se habet dignitas unius personae ad dignitatem alterius, sic se habet quantitas pecuniae ad quantitatem alteram. Commutativa vero respicit aequalitatem arithmeticam coniunctam, in qua eadem sit differentia minoris extremi à medio, quae medij à maiori extremo.

Dico secundò, iustitiam optimè dividi in commutativam & distributivam tanquam in duas species distinctas, & partes subiectivas iustitiae. Ita omnino colligitur ex Philosopho *cap. 3. & 4.*

Ratio autem est, quia illae iustitiae differunt essentialiter in ratione iustitiae, quae respiciunt diversas aequalitates cum iure alterius; aequalitas enim cum iure est formale obiectum iustitiae: iustitia commutativa respicit aequalitatem arithmeticam coniunctam, distributiva aequalitatem geometricam disiunctam: ergo illae virtutes differunt specie inter se. Minorem eleganter probat Philosophus eo loco; tunc enim servatur aequalitas arithmetica coniuncta, quando conditio personarum non attenditur, sed sola differentia inter plus & minus in ipsa re; tunc enim eadem est differentia minoris extremi à medio, quae medij à maiori extremo. Singuli v. g. decem habent aureos, unus alteri furatur duos, & habet duodecim; tunc est necesse poni medium inter octo & duodecim proportionem arithmetica coniuncta, ita ut eadem sit differentia octonarii ad denarium, quae est denarii ad duodenarium; sic enim singuli habebunt decem, sicut exigit iustitia commutativa: ergo illa respicit aequalitatem coniunctam, quae comparat quantitatem cum quantitate, nullo modo attendendo conditionem personarum.

Deinde verò tunc servatur aequalitas geometrica disiuncta, cum in constituenda aequalitate inter plus & minus attenditur per se loquendo conditio diversa personarum, ita ut eadem sit ratio rei, quae tribuitur personae uni, cum re quae tribuitur personae alteri; quae est proportio unius personae cum altera persona. In iustitia distributiva, quae non attendit solam aequalitatem rei ad rem, sed etiam conditionem personarum, non potest poni aequalitas, nisi eadem sit proportio rei cum re, quae est proportio dignitatis cum dignitate: ergo iustitia distributiva respicit aequalitatem geometricam disiunctam: ergo illae sunt duae species iustitiae inter se distinctae.

Scio invenire Theologos plures multa quae contra rationem & distinctionem illam opponant; quia saepius iustitia commutativa ponere videtur aequalitatem geometricam, & iustitia distributiva

A aequalitatem arithmeticam: sed haec omnia suo loco disputata & soluta sunt; nunc satis sit tradidisse doctrinam Philosophi, reliqua viderint & discutiant Philosophi.

Dico tertio, praeter iustitiam commutativam, quae ponitur aequalitas rei cum re, non attendendo dignitatem personae; & distributivam, quae ponit aequalitatem rerum attendendo conditionem personarum, nullas praeterea virtutes esse proprias species & partes subiectivas iustitiae strictè sumptae; sed plures esse partes illius, vel integrales, vel potentiales.

Ratio est, quia praeter iustitiam commutativam & distributivam nulla est, quae attendat strictum ius alterius, & perfectam aequalitatem cum eo: quae duo exiguntur, ut dixi, ad perfectam iustitiam: ergo praeter iustitiam commutativam & distributivam nulla virtus est pars subiectiva, & vera species iustitiae. Probat autem antecedens; nam iustitia legalis, ut ostendi, est quidem ad alterum, sed non respicit strictum ius, cuius violatio sit vera iniuria pariens obligationem restituendi. Iustitia vindictiva, cuius proprium obiectum est punitio peccati, quia peccatum dignum est poenae, non est etiam propria species iustitiae, cum respiciat formaliter honestatem vindictae, non autem respicit ex propria ratione ullam aequalitatem cum iure alterius: quod patet quoties priuatus aliquis exposcit à iudice punitiorem acceptae iniuriae; tunc enim non elicit actum iustitiae in seipsum. Iudex autem puniens delicta elicere saepe potest actum iustitiae vindictivae simul & commutativae, si puniat quia delictum est poenae dignum, & quia obligavit se Reipublicae ad vindictam scelerum. Unde tunc duos elicit actus virtutum diversarum.

Reliquae omnes virtutes ad alterum deficient à ratione iustitiae, quae vel respiciunt strictum ius, sed inadaequabile; cuiusmodi sunt religio, cultum Dei respiciens; pietas, respiciens cultum parentum; obedientia, cultum eorum qui virtute polent; obedientia, subiectionem superiori debitam. Aliae sex respiciunt debitum solum morale, non ius strictum, amicitia, gratitudo, affabilitas, veracitas, fidelitas, liberalitas, de quibus dicam *sest. ultima.*

### SECTIO III.

*De obiecto iustitiae proprio, & variis iuribus.*

*Arist. cap. 5. 6. 7. & 10.*

Dixi sectione prima, proprium obiectum circa quod versatur iustitia, esse actiones illas, quibus ponitur aequalitas cum iure alterius: obiectum autem formale esse ipsam honestatem aequalitatis cum alieno iure. Huiusmodi actio aequalis alieno iuri solet vocari ius & iustum; de quibus differenter eleganter Philosophus illis quatuor capitibus, ubi docet primò, quid illud sit; deinde quomodo aliud sit iustum civile, aliud naturale, aliud legitimum; ac demum aequum & bonum.

Dico primò, ius, siue iustum, prout pertinet ad propriè dictam iustitiam & est eius obiectum, esse medium illud quod est inter habere plus, & habere minus.

Ratio est, quia ius, ut notat Lessius ex Philosopho & S. Thoma, aliquando significat ipsam legem, & sic non est obiectum, sed regula iustitiae; aliquando significat potestatem legitimam ad aliquam rem obtinendam, vel ad aliquam functionem,



nem, cuius potestatis violatio est vera iniuria; & sic ius non est proximum obiectum iustitiæ, sed remotum duntaxat, & id quod respicitur ab obiecto proximo; alias enim ius significat actionem alteri debitam propter ius quod habet, seu æqualem illi potestati legitimæ: illa est obiectum, quod iustitia propositum habet, & vocatur maxime propriè iustum; est enim medium illud, quod tuetur societatem humanam, non repassio solum absolute sumpta, vt volebat Pythagoras, sed contrapassum, seu permutatio mutua, & repassio per comparationem rationum reducta ad æqualitatem.

Æqualitas verò illa per comparationem duorum fieri non potest, inquit Philosophus, nisi detur communis aliqua mensura cum qua duo illa comparentur: illa mensura est indigentia; pro indigentia verò supponitur nummus, qui est quasi vas pro indigentia quasi futura, vnde nummo metimur omnia. Iustitia ergo medium illud prosequitur inter plus & minus, nec est inter duo vitia, sed est inter duo extrema, quæ reperiuntur in eodem vicio; nam quævis iniustitia est exsuperatio simul & defectus; qui enim alteri debet, exsuperat habendo; ille cui debetur, habendo deficit, minus habens quam habere debeat. Ita Philosophus *cap. illo 5. lib. 5.*

**Iusti diuisio.** Dico secundò, iustum, quod pro lege sumitur, diuidi rectè in naturale, ac positium. Naturale illud appellatur, quod oritur ex ipsa natura rationali, non autem ab aliqua libera Dei aut creaturæ ordinatione; idè illud vbique est idem: de quo differit Philosophus *cap. 7.* Positium illud est, quod ex libera Dei aut hominum ordinatione pendet, potestque mutari; & est vel diuinum, quod Deus tulit; vel humanum, quod auctoritate puri hominis est conditum: & illud positium humanum triplex est, ius Gentium, quod apud omnes gentes seruatur; Canonicum, quod auctoritate Pontificis aut Ecclesiæ est conditum; ciuile, quod sancitum est Principis secularis auctoritate. De hoc iure ciuili disputatur eleganter *cap. 6.* definitur enim esse illud, quod tuetur humanam societatem & libertatem communem, ponendo æqualitatem. Vt autem iustum vigeat, necessariam esse legem, quæ sit velut anima humanæ societatis; vt illa lege seruetur societas, necessarium esse Magistratum, qui sit viua lex, omnibus notum est, non enim oportet hominem dominari, sed rationem; si enim dominatur homo, sibi statim consulit, & fit tyrannus. Denique sub finem capitis distinguit ius illud ciuile à iure paterno, & iure vxorio, de quibus etiam ibi pulchrè discurrit.

**Æquum & bonum.** Denique *cap. 10.* aliud etiam iustum explicat, quod appellat æquum & bonum: à Græcis dicitur *ἐπαινετός*, correctio videlicet legis, quatenus deficit propter loquutionem vniuersalem. Quia cum leges vniuersaliter sint late, multi casus occurrunt, in quibus recta ratio dicat illas seruandas non esse; alioqui fieret contra mentem legislatoris, & contra bonum publicum aut priuatum; nam quæ sunt vniuersalia, multas patiuntur exceptiones in rebus practicis; quæ exceptiones cum expressæ non sint in lege, iudicio prudentis relicte sunt, & appellantur æquum & bonum. Iudicium verò illud prudens de æquo & bono, seu de corrigenda lege, pars est illa prudentiæ quæ vocatur *νοῦς*, seu benigna sententia. Denique virtus illa voluntatis, quæ respondet huic iudicio, appellatur *ἐπιεικεία*, seu æquitas, quæ iustitia quadam est, & definitur virtus inclinans ad recedendum à verbis legis, quando illa ob vniuersale bonum deficit à recto, vt

**A** nos accommodemus intentioni legislatoris; frequenter enim malum esset verba legis sequi: præcipit v. g. lex ieiunium; qui febri grauiter laborat, peccaret non frangendo ieiunium. Est igitur hæc virtus correctiua legum, quando illæ deficiunt à recto propter vniuersalem expressionem; inclinat enim vt contra legem agatur, non autem contra mentem legislatoris. Explicat eam fusè S. Thomas *quæst. 120.* videturque probabile quod ait Lessius *lib. 2. cap. 47.* illam non esse vnicam tantum virtutem, sed virtutes omnes, quatenus in materia propria emendant legem, quoties ob vniuersalitatem illa deficit à recto.

## SECTIO IV.

*De actibus iustitiæ, virtutisque oppositis.*

**Q**uatuor sunt illi actus: restitutio, contractus, iudicia, distributiones onerum & munerum publicorum. Tres priores ad iustitiam commutatiuam pertinent, vltimus ad distributiua. Scripserunt de singulis Theologi amplissima volumina. Ego strictim & obiter trium priorum explico quidditatem, obligationes & causas: reliqua in alium locum differo.

### S. I.

*Restitutionis quidditas, obligationes, & causa.*

**C**ertum est primò, restitutionem propriè dictam rectè definiti, *Est compensatio damni quod illatum est iniuste.* Tunc enim dicimur restituere, cum illud reparamus, quod per læsionem saltem materialiter iniustam ablatum erat. Dicitur compensatio damni, vt differat à satisfactioe, quæ compensatio est iniuriæ. Differt enim damnum ab iniuria propriè dicta, quia damnum actio est, quæ ius alterius in rem aliquam violatur; iniuria verò est actio, quæ violatur alterius persona, & vilificatur ac humiliatur. Tunc videlicet patitur aliquis damnum, cum minus habet in rebus externis quàm habere debeat: patitur autem iniuriam cum persona eius abicitur & dehonoriatur.

Restitutio ergo compensat damnum reddendo rem ablatam, satisfactio compensat iniuriam honorando personam offensam, & humiliando personam offendentem, quantum humiliata est persona offensâ.

Differt etiam restitutio à solutione, quæ non præsupponit iniuriam, sitque per exhibitionem rei diuersæ à re quæ fuit alterius; restitutio autem præsupponit iniuriam saltem materialiter, & exigit vt res quantum fieri potest eadem sit, saltem in æquivalenti. Imò restitutio est rei ex iniustitia sola debita, & est semper actus iustitiæ; solutio est rei etiam debita ex charitate, voto, gratitudine; neque semper est actus iustitiæ, vt patet.

Certum est secundò, restitutionem, seu compensationem illam damni esse absolute necessariam, quando fieri potest, quia retinere rem alienam non est minus iniustum, quàm illam auferre, idè est furtum quoddam continuatum. Sed non est tamen necessaria necessitate mediæ, vt probatum manet in tractatu de Sacramentis; cum possit homo saluari, quamvis non restituat, neque vllum actum eliciat loco restitutionis post contractam eius obligationem, idèque salus obtineri possit sine ipsa restitutione, tum in re, tum in voto. Est igitur necessaria necessitate præcepti eos obligantis, qui



sciunt & possunt restituere id quod detinent iniuste.

Præceptum restituendi est primario negatiuum.

Disputant autem Doctores, vtrum illud præceptum primario & principaliter positium sit, præcipiens actum positium; an verò sit primario negatiuum, prohibens positium aliquid. Posituum esse docent Lessius, Valentia, Sotus, Nauarrus; quia illo præcepto iubemur rem alienam redde-  
dere, neque semper & pro semper obligat, videturque differre à præcepto non furandi. Principalis autem esse negatiuum, docent Medina, Canus, Molina, Vasques, & Delugo; quia per illud præceptum prohibetur primario detentio rei alienæ, licet secundum corticem verborum videatur imperari actio realis; quæ tamen per accidens solum imperatur, ne detineatur res aliena: ceruum v. g. & bona immobilia restituis eo ipso quod cessas detinere; quæ posterior sententia magis placet propter allatam rationem: actio enim positua imperatur solum per accidens. Præceptum etiam restituendi vnum est præceptum cum præcepto non furandi, & pro semper obligat eo modo, quo obligat; non enim obligat simpliciter vt alienum non retineas, sed vt non retineas domino rationabiliter inuito.

Obligatio restituendi oritur ex duplici capite.

Certum est tertio, quod obligatio restituendi ex duplici solum capite oriri potest: primum est res accepta: secundum acceptio iniusta. Per rem acceptam intelligitur res aliena, quæ sine vlla culpa mea ad me deuenit; vt si eam emi à fure, quem ignorabam esse furem. Per iniustam acceptionem intelligitur damnum quodlibet illatum alteri cum peccato iniustitiæ. Constat ergo quod ex utroque capite oritur obligatio restituendi. Primo quando apud me aliena res adhuc extat, teneor sine dubio illam reddere; quia quandiu dominus illa sua re caret, minus habet quam habere deberet; & ego plus habeo: tunc ergo exigit iniustitia vt ponatur æqualitas. Iniusta quoque acceptio obligat ad restitutionem, quia cum rem alterius iniuste accepi, posui omnino iniuste inæqualitatem, quam vt tol-  
lam, exigit iniustitia, obligans vt restituam.

Sed ratione tamen rei acceptæ nemo tenetur restituere, quando res accepta sine vlla eius culpa perit. Ratione autem iniustæ acceptionis, seu ratione culpæ tenetur quilibet restituere, quamuis perierit res illa, & non fuerit factus inde ditior; quia ille posuit inæqualitatem, cum culpabiliter damnum intulit: ergo quamuis res illa non extet, tenetur reparare damnum illatum ex culpa. Nomine autem culpæ vulgò significatur omissio diligentia, ex qua damnum aliquod sequitur. Solet illa poni quintuplex: leuissima, quæ est omissio diligentia, quam adhibere solent diligentissimi: levis est omis-  
sio diligentia, quam adhibere solent diligentiores & prudentiores: lata culpa est omissio illius dili-  
gentia, quam passim adhibent eiusdem sortis & conditionis homines: culpa latior vbi est dolus præsumptus; latissima vbi est dolus apertus.

Status controuersia.

His positis difficultas est, qualis culpa sufficiat vt obligetur aliquis restituere ratione iniustæ acceptionis: primo extra officium & contractum: secundo eum qui est in officio: tertio eum qui habet contractum; vtrum videlicet nemo teneatur restituere rem notabilem propter illatam iniustitiam, nisi eam intulerit cum culpa lata & peccato mortali.

Conclusio bimensuris.

Dico primo. Quoties aliquis extra officium & contractum causat alteri damnum graue, nunquam tamen obligatur ad restitutionem ex delicto, nisi tale damnum causerit cum culpa lata & peccato

A mortali. Ita censent communiter Doctores.

Primo, enim, quod vbi non fuit culpa lata, sine omis-  
sio diligentia, quæ communiter adhiberi so-  
let à prudentibus, non sit obligatio restituendi, videtur esse per se notum; quia tunc non est obli-  
gatio ratione rei acceptæ, quam suppono non ampli-  
us extare; neque ratione acceptionis iniustæ, cum nulla commissa sit iniustitia ab eo, qui totam  
adhibuit diligentiam communem; fecit enim totum ad quod obligabatur; nemo enim tenetur ex-  
quisitissimam adhibere diligentiam.

Secundo, quod sine peccato mortali non sit etiam talis obligatio, asserunt Nauarrus, Soto, Henriquez, Lessius, Delugo, contra Valquem. Probatque, quia obligatio restituendi non potest esse maior, quam fuerit illata iniuria, ex qua talis obligatio est orta: sed si absque mortali peccato facta sit iniuria, illa est tantum venialis: ergo ex ea non potest oriri grauis obligatio restituendi. Non potest autem esse obligatio levis tantum, & sub veniali restituendi rem notabilem; tunc enim obligatio est grauis, & sub peccato graui, quando ad materiam grauem obligat; cum grauis mate-  
ria faciat grauitatem obligationis. Nemo v. g. sub veniali tenetur restituere centum aureorum millia.

Dico secundo. Ille qui causauit alteri damnum in aliquo officio, non tenetur ad restitutionem, nisi damnum etiam illud causerit cum culpa lata & peccato mortali. Ita censent etiam communiter Doctores relati à Sanche lib. 1. consiliorum, cap. 4. dubit. 4.

Ratio est, quia nemo etiam constitutus in officio tenetur maiorem adhibere diligentiam, quam soleant in hoc officio prudentes adhibere; nemo enim tenetur esse diligentior quam communiter sint alij, nec esse prudentissimus Aduocatus, Medicus, Confessarius; imò etiam tutor & curator: quos tamen duos asserit Syluester obligari ad restitutionem ex culpa leui, & fateretur Lessius id in foro externo seruari.

Idem statuendum est de illo qui dedit alteri consilium falsum; tenetur enim omnino ad restitutionem damni sequenti ex culpa lata, & ex ignorantia crassa, si ex officio tenebatur id scire, responditque absolute: v. g. si sit Parochus, Confessarius, Concionator, Theologus, Medicus, Iuriconsultus, vel eius professionis ad quam talis consultatio pertinebat, & dederit consilium falsum; tunc ex iniustitia tenetur reuocare consilium; imò etiam reparare damna sequenta ex consilio, modo tamen, vt dixi, commiserit peccatum mortale. Ratio est, quia ille qui sic dedit consilium, putatur, & tenetur scire id de quo consultatur; ideoque alterum reuera decipit, & est causa damni: ergo ratione iniustæ damnificationis tenetur restituere. Addit tamen ibi Lessius, eum qui dubitanter responderet, non teneri ad restitutionem, quia tunc ille qui decipitur, imputare sibi debet, non autem decipienti. Idem statuit de eo qui responderet sententia probabili, & de eo cuius insufficiens nota est, eo quod non sit talis professionis; nam etiam ille si decipiat, non tenetur restituere.

Quid, inquit, si consultor omnino inculpate decipiat alterum? nunquid tenetur reparare damna, quia tunc nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniustæ acceptionis tenetur?

Respondeo illum omnino teneri ad reuocandum prius consilium, etiam datum sine culpa; sed ad hoc illum teneri solum ex charitate, si non prævideat vllum nocumentum futurum; si verò præ-  
uideat, non tenetur restituere.



deat, teneri ex iustitia. Ita Sanchez lib. 1. consilio-  
rum, cap. 4. dubio 5.

Res con-  
ducta vel  
commo-  
data, quo-  
modo re-  
stituenda.

Dico tertio, quotiescunque res conductæ, com-  
modatarij, tunc nulla prorsus est obligatio  
restituendi in conscientia rem illam quæ perit. Ita  
communiter docent Authores adducti à Molina,  
Vasque, Delugo. Et probant ex variis iuribus,  
præsertim ex cap. unico, de commodato.

Ratio autem est, quia semper res domino perit,  
si nulla intercedit culpa, vel pactio; si enim ita  
contraxisses vt commodatarius rem tuam omni mo-  
do integram redderet, quamvis sine vilius culpa  
perisset, teneretur reddere. Teneretur etiam, si  
vilius fuisset re illa ad alios vsus quàm permittos à  
Domino; vel etiam si esset in mora restituendi rem  
illam commodatam, ita vt perisset, quia non fuis-  
set restituta debito tempore, modò tamen apud  
dominum res non eodem modo fuisset peritura.

Obligatio  
ex iure  
naturæ.

Dico quartò, si solum naturæ ius attendatur,  
commodatarius & conductor nunquam tenentur  
ad restitutionem rei commodatæ aut conductæ,  
quando non commiserunt culpam latam, quæ sit  
peccatum mortale. Ita contra Vasquem tradunt  
Molina, Lessius, Delugo.

Ratio est, quia si nemo tenetur ad restitutionem  
damni dati in officio, nisi quando interuenit culpa  
lata, sic ex iure naturæ nemo teneri potest ad re-  
parandum damnum rei commodatæ, vel condu-  
ctæ, nisi simile peccatum interceperit. Neque di-  
cas cum Vasque, oriri ex ipsa natura contractus,  
vt ille in cuius gratiam factus est contractus, te-  
neatur restituere ob culpam leuiorem, quàm si  
contractus esset factus in vtilitatem alterius: ergo  
hæc obligatio ex iure naturæ oritur. Respondeo  
negando antecedens; quia ex natura quidem con-  
tractus oritur vt ille in cuius vtilitatem factus est  
contractus, teneatur ad maiorem diligentiam, sed  
non vt teneatur ad restitutionem, si culpa non in-  
teruenierit.

Ad quod  
obliget  
ius huma-  
num.

Sed variæ tamen leges, tum canonicæ, tum ci-  
uiles, decernunt, vt commodatarius, conductor,  
& quilibet alius causans damnum alteri post con-  
tractum, teneatur ad restitutionem ex culpa leuissi-  
ma, si contractus factus sit in commodatam so-  
lius commodatarij; si sit factus in commodatam  
solius commodantis, vt solum teneatur ex culpa  
lata; si ad vtilitatem vtriusque, vt teneatur ex cul-  
pa leui.

Vtrum  
obliget in  
conscien-  
tia.

Disputant autem Doctores, vtrum illæ leges  
obligent etiam in conscientia, & ante iudicis sen-  
tentiam, ita vt teneatur restituere etiam ille, qui  
non adhibuit summam diligentiam ad impedi-  
dum damnum alterius commodantis aut locantis.  
Negant enim illam obligationem esse in conscien-  
tia Sotus, Toletus, Sà, Delugo, & probabile  
putat Lessius; alij communius volunt, obligari  
etiam ad hoc in conscientia commodatarios, con-  
ductores, & alios huiusmodi; quia cum leges exi-  
gant summam illam diligentiam, videtur commo-  
datarius tacite se ad illam obligare ac promittere,  
dum init pactum: quæ ratio conuincere tantum  
videtur, quod leges obligare ita potuerunt, & ita  
possent conuenire contrahentes. Sed ex ea non se-  
quitur, quod de facto ita contrahentes conueniant,  
vt alter teneatur de culpa etiam leuissima; cum sum-  
ma illa diligentia sit admodum difficilis & rara. Vnde  
verius existimauerim, quod nemo in conscientia  
teneatur restituere ob damnum sequutum sine culpa,  
saltem leui. Quis enim euitet culpam leuissimam,  
quàm ne ipsi quidem prudentes satis solent vitare?

A Durius ergo videretur esse obligare hoc modo ex  
culpa leuissima, tamen si ius humanum ob præsum-  
ptionem fraudis obligat etiam ob huiusmodi culpâ.

Rationes autem aduersariorum probant tantum,  
quod quando contractus est factus in vtilitatem  
commodatarij, culpa esse potest lata, quæ non  
esset nisi leuissima, si contractus esset in vtilitatem  
commodantis. Vnde concluditur, quod si habebas  
alterius pecuniam in cubiculo, quâ vtebaris, si tra-  
xisti ostium, sed non tentasti vtrum manserit aper-  
tum, vnde factum sit vt illa furto ablata fuerit;  
tunc teneris ad restitutionem in conscientia, quia  
culpa illa non fuit leuissima, si habebas pecuniam  
in solum commodum tuum, obligaberis enim ad  
maiorem diligentiam.

Rationes  
aduersa-  
riorum re-  
iectæ.

B Ex quibus etiam concluditur, quod qui ex con-  
tractu habet rem alienam, quam non potest confer-  
uare nisi rem suam amittendo, potest res proprias  
etiam viliiores præferre alienis pretiosioribus, si  
contractus factus sit in vtilitatem commodantis: si  
autem factus sit in vtilitatem commodatarij solius,  
potest res suas pretiosiores alienis minùs pretiosis  
præponere; suas autem viliiores tenetur postponere  
alienis. Si verò contractus sit in vtilitatem vtriusque,  
potest res suas pretiosas vel pretiosiores præponere  
alienis. Ratio est, quia ille qui eo modo se gerit,  
facit id quod communiter faciunt prudentes. Illi  
enim qui non tenentur nisi ex culpa lata, commu-  
nem adhibent diligentiam, quamuis res suas præfe-  
rant alienis, quas habent in vtilitatem alterius. Qui  
autem tenentur summam adhibere diligentiam, cer-  
tè debent res suas viliiores alienis pretiosioribus  
postponere. Denique illi, qui tenentur ad diligen-  
tiam prudentiorum, certè res suas æquè pretiosas  
possunt alienis præponere.

An debeat  
aliquis res  
suas alie-  
nis præ-  
ponere,  
quas ha-  
bet ex  
contractu.

C Obicitur primò contra primam conclusionem:  
Non requiritur ad obligationem restitutionis, vt  
cum culpa lata damnum illatum fuerit, si sola in-  
tentio nocendi sæpe sufficiat ad contrahendam il-  
lam obligationem, etiam si actio externa inferens  
damnum nullam contineat culpam latam: sed sola  
intentio nocendi sæpe sufficit: ergo ad obligatio-  
nem contrahendam restitutionis non requiritur  
culpa lata. Probatur minor; si cum ignorantia co-  
mitante, quæ non est volita culpabiliter, neque ta-  
men est causa operis, inimicum aliquis occidit,  
quem maximè oprabat occidere, putans ibi latere  
feram, & postquam diligenter circumspectit, vtrum  
esset fera; tunc externa iaculatio non continet cul-  
pam latam, quia tota est adhibita diligentia vt hoc  
damnum vitaretur. Si tamen ille iaculator est ex vo-  
luntate occidendi, si fortè ibi lateret inimicus, tunc  
ille tenetur ad restituendum; quia illud damnum  
causatum ex tali actione, & intentione nocendi, est  
verè voluntarium, cum procedat ex voluntate occi-  
dendi. Similiter etiam sint duo, qui foueam in agro  
aperiant; alter vt capiat feram, alter vt in illam in-  
cidat homo illac fortè transiens: primus non pec-  
cabit, alter autem peccabit contra iustitiam. Deinde  
de si eo fine vt moreretur Petrus, posuisti venenum  
in abditissimo cubiculi tui loco, ad quem Petrus  
nunquam, aut ferè nunquam venire solet, sub illa  
tamen spe posuisti, vt si fortasse veniret, & comede-  
ret, moreretur; venit Petrus & comedit, peccasti  
contra iustitiam. Si committat aliquis homicidium,  
quod postea per errorem imputatur alteri; si com-  
mittat illud vt imputetur alteri, tenetur restituere  
quæ illata sunt innocenti: & in materia castitatis  
idem constat, si enim laurè aliquis coenat eo fine,  
vt sequatur pollutio, tunc peccat mortaliter contra  
castitatem; si verò ex alio fine coenat, quamuis præ-  
uideat

Videtur  
sola suffi-  
cere in-  
tentio no-  
cendi, sine  
culpa lata.



Ostenditur  
solum  
intentione  
nocendi  
non suffi-  
cere.

uideat pollutionem, non peccat mortaliter: ergo sola intentio similiter sufficit ad peccatum iniustitiae.

Respondeo cum Lessio c. 7. dubit. 7. & c. 9. dubit. 16. & cap. 12. num. 129. Sanchez lib. 1. consiliorum, c. 1. dubit. 49. Vasquez l. 2. disp. 125. c. 1. contra plures, quos citat & sequitur Delugo disp. 8. sect. 5. nunquam intentionem solum nocendi sufficere ad obligationem restitutionis, ut etiam latius probatum est prima secundae. Ratio est, quia quoties damnum non est voluntarium inferenti, sed volitum duntaxat, tunc obligatio non est restituendi: sed quoties damnum inferitur per externam actionem, quae non continet culpam latam, damnum non est voluntarium inferenti: ergo sola intentio non sufficit ad obligationem restituendi. Probatur minor. Tunc damnum voluntarium non est illud inferenti, quando actio per quam inferitur, non procedit efficaciter à voluntate nocendi prout iniusta: sed emissio teli eo modo facta non procedit efficaciter à voluntate iniusta formaliter ut iniusta; quod probo. Si actio illa sit de se prudens, iusta, & nullo modo periculosa hic & nunc, non potest procedere hic & nunc à voluntate iniusta formaliter ut iniusta: actio ista est huiusmodi, quam qui elicit, vitur iure suo, & prudenter omnino agit, cum omnem adhibuerit diligentiam necessariam: ergo actio illa externa non procedit tunc efficaciter ab actione prout iniusta formaliter.

Confirmatur primò, quia sola intentio interna non potest reddere actionem externam iniustam, si de se illa non sit iniusta; nam v.g. iudex non tenetur ad restitutionem, licet ex odio nocentem damnet, quem iuste damnare potest. Si aliquis vitens moderamine inculpatae tutelae, aggressorem interficiat ex odio, non peccat contra iustitiam: ergo sola intentio nocendi non sufficit ad hoc ut actio externa sit iniusta, quamvis sufficiat ad hoc ut actio illa sit peccatum odij; procedit enim à voluntate ut est odium, non prout iniusta. Vnde reddi potest ratio à priori, cur sola intentio in aliis plurimis peccatis sufficiat ut malitiam suam communicet actui externo, in peccato iniustitiae non sufficiat; quia, ut saepe dixi, obiectum iniustitiae, est actio de se iniusta: unde quoties illa de se non est iniusta, implicat ut fiat iniusta per solum voluntatem, quae non est iniusta nisi prout tendit in talem actionem. Hoc autem non reperitur in aliis multis peccatis; nam ut actus externus contrahat malitiam odij, sufficit, quod procedat ex odio interno, quia illud non est odium dependenter ab actu externo, cum tamen iniustitia non sit talis, nisi per ordinem ad actum externum.

Solvitur  
argumen-  
tum.

Ad argumentum igitur nego, in illo casu voluntarium esse homicidium, sed esse volitum duntaxat, quia non procedit efficaciter per se à voluntate occidendi formaliter ut iniusta, sed fortuito tantum & per accidens illi coniungitur, & sequitur ex illa voluntate prout est odium, non prout iniusta. Si forte aliquis aperiat in loco remoto, & nullo modo periculoso, ubi habet ius fodiendi; tunc etiam si forte intendat ut hostis illac casu transiens; capiatur, non peccat contra iustitiam. Idem dico de illo qui parat venenum, & de illo qui committit homicidium, quod imputatur deinde alteri. Si enim fuit periculosum & probabile, quod imputaretur alteri hoc homicidium, & hoc intenderis, peccasti contra iustitiam adversus illum cui imputatur, & teneris de damnis. Si verò non fuerit periculosum aut probabile, quamvis illud intenderis, peccasti odio, non iniustitia. Cœna quam aliquis facit intendens pollutionem, est haud dubie peccatum mortale contra castitatem; dispar autem ratio est, quia cœna illa non est actio prudens, quam seclusa illa intentione prava facere possis; quia pravaides sequi probabiliter ex ea

A pollutionem. Contrarium evenit in casibus allatis.

Obicitur secundò, non requiri ad obligationem restituendi culpam latam, quae sit peccatum mortale; nam quando plures rem alterius paulatim furantur, v.g. fructus vinearum, alij aliorum insciji, peccatum est duntaxat veniale; sed postea tamen si sciant fuisse illatum ab omnibus grave damnum, tenetur quique sub mortali parte suam restituere: ergo ad gravem obligationem restituendi sufficit peccatum veniale. Similiter si pluribus acceptionibus levis grave damnum intulisti proximo, teneris postea sub mortali totam summam restituere. Si prociis in mare gemmam alienam, existimans illam valere tribus assibus, cum valeat mille nummis, teneris reddere mille nummos. Denique quando aliquis alieni damni periculo praevisso adhuc illud opus facit cum animo refarciendi totum damnum, si consequatur aliquid fuerit, tunc saepe contingit ut non peccet, & tamen obligabitur ad restitutionem.

Respondeo nunquam ex peccato solum veniali posse oriri obligationem restituendi; nam si plures aliquid notabile furati sunt, ita ut singuli aliquid tantum leve acceperint, obligatio restituendi, si est gravis, non oritur ex priori peccato, sed ex retentione iniusta rei grauis. Idem dici potest de modiciis furtis, nisi quod furtum vltimū rei levis fuit peccatum notabile, ut probabam olim. Ille qui proiecit in mare gemmam valentem mille nummos, putans illam valere tantum tres asses, non tenetur restituere integrum pretium gemmae, quia non commisit peccatum nisi veniale, cui tanta illa poena non potest esse proportionata. Si autem putasset illam valere centum aureos, teneretur reddere totum pretium gemmae, quia commisisset peccatum mortale, cui proportionata est poena reddendi mille aureos. Qui praevisso periculo damni alieni, facit aliquid communi illud fariendi, si sequatur forte fuerit, obligavit se ad illud damnum reparandum; unde debet illud reparare propter tacitum contractum, quo se obligavit.

Et hæc dixisse satis sit de obligatione restitutionis in genere; nam quæ addi possent in specie de obligatione restituendi, seu an, & quomodo facienda sit restitutio pro illatis iniuriis, primò in bonis animi, secundò in bonis corporis, tertio in bonis famæ ac honoris, quartò in bonis fortune, spectant ad Theologiam moralem, non ad Philosophiam, cuius fines nunc non egredimur.

## S. II.

*Contractuum natura, varia species, & variae conditiones.*

Post restitutionem nihil est quod iustitiam commutet impensius, quam contractus, quibus tota videtur stare humana societas: sed hanc tractationem diffusissimam totam sibi etiam vindicat moralis Theologia: ergo nunc tria illa quæ propo-  
E paucis explico, quia illis continetur generalis tantum notitia contractuum.

Certum igitur primò est, contractum strictè sumptum rectè definiti à Iurisperitis, Est ultro, citraque voluntas obligatio; id est actus in quo ex mutuo consensu duorum oritur obligatio ex utraque parte. Quia scilicet contractus dicitur quasi contra, seu vicissim actus; cum scilicet duo vel plures in obligationem eandem consensum trahunt: unde loco generis ponitur actus plurium, nunquam enim est contractus, nisi sint duo saltem, & duorum actus. Loco differentiae ponitur plurium consensus, ex quo nascitur obligatio; forma enim & essentia contractus est consensus in obligatione; effectus autem est obligatio.



**Definitio contractus latè sumpti.** Certum est secundò, contractum latè sumptum rectè definitur, *Actum in quo ex consensu plurium nascitur obligatio, saltem ex una parte.* Huiusmodi est promissio gratuita, donatio; quæ licet in iure sæpe appelletur contractus, vt latè probat Rebuffus in legem *Labeo*; fatentur tamen omnes, illam esse minus strictam acceptionem contractus, in quo debet esse obligatio ex vtraque parte: hic autem obligatio non est nisi donantis aut promittentis. Sed quia tamen ibi est plurium consensus generans aliquam obligationem, quod est essentiale contractui, idèd vocatur contractus, sed in significatione latiori, vt docet glossa in legem *Labeo*.

**Definitio pacti.** Certum est tertio, pactum rectè definitur, est plurium in idem consensus; sic enim habetur in *l. i. ff. de pactis*. Hoc est enim quasi genus ad contractum strictum & latum, quia si pacto addas obligationem, erit contractus; quoties enim obligatio solum oritur ex officio, tunc non oritur ex contractu, sed ex quasi contractu. His positis operæpretium erit expendere tria illa, quæ dixi ad contractum exigi. Primò, qualis actus conficiat contractum: secundò, qualem mutuum consensum exigit: tertio, qualem pariat obligationem.

**Quibus actibus perficiatur contractus.** Dico primò, actus quibus legitimus omnis contractus conficitur, esse potissimum quatuor, vnde illi quatuor modis perfici dicuntur, consensu, re, verbo, & scripturâ.

Ratio est, quia contractus tunc perfici dicitur, quando habet omnia, quæ secundum suam speciem requirit vt pariat obligationem; vt autem talis sit, aliquando solus sufficit consensus aliquo modo exterius manifestatus, vt emptio, venditio, locatio, conductio; hæc enim nomina puram significant conuentionem, quæ vbi posita est, perfectus est contractus. Aliquando requiritur traditio rei, quia non censetur illi contractus celebrari nisi re ipsa tradita, vt depositum, mutuum, commodatum, permutatio, pignus; quia illa non significant nisi traditionem ipsam alicuius rei. Alij contractus verbis perfici dicuntur, quia non censetur legitimi, donec vterque contrahens certis verbis suum expresserit consensum: huiusmodi contractus stipulationes dicuntur; sunt enim illæ certæ quædam formulæ constantes interrogatione præuia vnius, & alterius, subsequuta responsione alterius. Interrogans videlicet stipulator dicitur, interrogatus autem promissor, aut etiam aliquando stipulatus. Denique aliqui contractus solâ perficiuntur scripturâ, quia non habentur rati ante confectum à notario instrumentum; contrahentes enim voluntatem suspendunt se obligandi, donec perficiatur scriptura. Huiusmodi sunt contractus omnes, qui egent insinuatione, & emphyteusis de re ecclesiastica.

**Qualis consensus requiritur ad contractum.** Dico secundò. Nullus potest esse contractus validus, ad quem essentialiter non requiritur consensus internus, seu voluntas contrahendi; qui autem scitè solum & apparetur siue animo vilo interno exterius contrahit, ille non contrahit validè, neque vilo modo se obligat.

**Dubitatio duplex.** Ratio est, quia contractus, vt dixi, actus est, in quo ex plurium consensu nascitur obligatio: vbi ergo deest consensus, nec est contractus, neque obligatio. Quando enim aliquid est meum, non potest fieri alterius, nisi ex mea voluntate, cuius solius est dominium. Dubitari solet, vtum ille validè contraheret, qui voluntatem haberet promittendi & contrahendi; sed voluntatem tamen non haberet se obligandi, vel cerè non haberet voluntatem implendi quod promittitur.

**Voluntas se obligandi.** Respondeo primò quidem voluntatem se obligandi omnino essentialiter esse contractui per se

**A**loquendo; nam contrahere est se obligare; & vel le contrahere, est velle se obligare. Vel ergo ita vis contrahere, vt expresse dicas, *Si scirem obligationem annexam esse contractui, nollem contrahere.* Tunc si habeas voluntatem contrahendi sine obligatione, neque contrahis; neque vis contrahere; carentia enim obligationis est contra substantiâ promissionis; idèd tunc voluntas te non obligandi destruit voluntatem contrahendi, & est cum ea impossibilis. Si autem velles contrahere sine obligatione, quia ignoras obligationem essentialiter esse contractui; si autem scires obligationem essentialiter esse, adhuc velles contrahere; tunc contractus irritus non est, quia tunc voluntas contrahendi efficacior est quàm voluntas te non obligandi.

**B**Secundò tamen valide omnino ille contrahit, qui animum habet se obligandi, & tamen non implendi promissum; non enim se destruit illæ voluntates, quia cum animo non obseruandi stare potest voluntas se obligandi; vt si aliquis professionem religiosam faciat cum animo seruandi concubinam, quam habet.

Dico secundò. Quilibet contractus solum habens consensum contrahentium, etiam si vestitus nondum sit, id est, et si non habeat omnia illa quæ requirit ius ciuile, obligat tamen in conscientia, nisi tamen ius ciuile illum irritauerit, aut irritabilem esse voluerit.

**C**Ratio est, quia ius, tum naturale, tum canonicum huiusmodi contractus omnino approbant; nam ex iure naturali tenetur quisque præstare quod promissit acceptante altero. Reliqua quæ vestiunt contractum, ex iure ciuili addita sunt, nò ex iure naturali. Imò ius canonicum contractus illos approbat, vt ostendit Molina *disp. 258*. Sed illi tamen contractus, qui solo attèto iure naturæ validi essent, irriti tamen sunt, si ius posituum illos irritauerit, quia ius humanum potestatem habet vel omnino irritandi pactû, quod aliàs esset validum; vel tribuendi facultatem alteri contrahentium irritandi obligationem: non enim est dubium, quin Respublica cõstituere possit certas quasdam condiciones, quibus demptis irritus sit contractus: vnde Principes sæculares & ecclesiastici plures sæpe huiusmodi condiciones adhibent, ex quarum defectu testamenta, & alij contractus omnino irritantur.

**E**Certum tamen omnino est, quod in foro ciuili In foro ciuili omnes huiusmodi contractus nudi non pariunt obligationem, quia sic habetur *l. iuris gentium, §. finali. D. de pactis, & l. ex placito, C. de rerum permutatione*. Quia scilicet ius ciuile, quamuis omnibus huiusmodi contractibus non resistat eos irritando, noluit tamen illis inquam assistere concedendo actionem, ne lites multiplicarentur; tamen si quædam sunt huiusmodi pacta, quæ in foro etiâ externo dant actionem, cuiusmodi est donatio verbalis acceptata, promissio dotis. Imò nullum est huiusmodi pactû, quod non habeat plures alios effectus, etiam in foro ciuili. Primò enim illa impediunt soluti repetitionem, tribuunt compensandi ius, &c.

Denique si pactum nudum confirmatur iuramento, parit actionem in vtroque foro, vt patet ex authentica, *Sacramenta puerum*; & statim dicitur.

Dico quartò, contractû diuisiones esse quatuor potissimum. Prima est in contractum nominatum, & innominatum. Nominati dicuntur illi, qui proprium in iure habent nomen per quod ab alijs distinguuntur, vt venditio, locatio, &c. Innominati sunt qui speciale nomen non habent, sed tantum genericum, & illorum quatuor sunt species, *Do vt des, do vt facias, facio vt facias, facio vt des; v. g. Do tibi panem vt tu des mihi vinum.*

Secunda est in contractum bonæ fidei & stricti iuris

gandi est essentialis contractui.

Non autem voluntas implendi promissum.

Obligatio ex contractu orta.

Contractus validi ex iure naturæ.

Iriti sunt si ius humanum irritet.

In foro ciuili sunt irriti.

Prima diuissio contractuum.



iuris. Bonæ fidei contractus appellatur in quo iudex multa potest ex æquo & bono arbitrari, ut sunt depositum, emptio, locatio. Stricti iuris contractus appellatur, in quo iudex ad verba adstringitur, cuiusmodi sunt stipulationes, feudales contractus, & emphyteutici.

Tertia di-  
uisio.

Tertia est in contractus lucrativos & onerosos. Lucrativi dicuntur, in quibus ex altera parte nihil rependitur, cuiusmodi sunt promissio, donatio, commodatum, precarium, testamentum, legatum. Onerosi sunt, in quibus aliquid reddi debet pro eo quod datur; seu in quibus ex utraque parte aliquid exhibetur, ut sunt emptio, locatio, mutuum.

Quarta  
diuisio.

Quarta est in contractum nudum & vestitum. Nudus est pura conventio, carens omni firmamento, unde accipiat robur in foro externo: huiusmodi sunt donatio & mutuum antequam de facto impleantur. Contractus vestitus dicitur, qui habet aliquid unde in foro externo accipiat robur. Dicitur autem contractus vestiri sex modis. Primum reipsa, si altera ex parte impletus sit. Secundum verbis, si accedat ei formula stipulationis. Tertium litteris, si fatearis per epistolam tibi esse satisfactum. Quartum si contractus nominatus in suo genere sit perfectus, ut emptio & locatio sunt ex suo genere contractus vestiti. Quintum coherencia cum contractu vestito, v.g. si quando locasti domum Paulo, simul fecisti pactum de commutando boue cum equo. Sextum per iuramentum omnino vestitur contractus, qui alioqui esset irritus in iure civili, & tribueret facultatem resiliendi: quod quomodo verum sit, fuse tradunt Doctores.

Sequuntur nunc conditiones necessariae ad contractum, quarum aliae requiruntur ex parte modi quo fit contractus; aliae ex parte personarum, quae contrahere valide possunt; aliae ex parte ipsarum rerum, de quibus contrahere valide possunt: ubi tandem additur quomodo restitutio in integrum concedi possit post contractus validos. Quae omnia sane video magis spectare ad Theologiam, quam ad moralem Philosophiam, cuius fines nunc non egredior.

### S. III.

*De iudicio proxi: est tertius actus iustitiae.*

Iudicium  
temera-  
rium.

Certum est primum iudicium vniuersum esse actum illum intellectus, quo affirmamus vel negamus aliquid de re aliqua; unde vocatur à Doctoribus iudicium temerarium actus ille intellectus, quo ex leuibus indicibus & sine fundamento sufficienti de aliquo proximo peccato, aliove illius malo iudicamus: ubi vides tria esse. Primum quod affirmet aliquid, aut neget: secundum quod sit de re mala: tertium, quod ex leuibus solum indicibus ita iudicet; quod enim ex iustis & sufficientibus causis concipitur, non est temerarium. In hoc autem actu iudicandi quatuor solent distingui gradus. Primus est dubitatio, cum suspensus haeret animus, neutram in partem inclinans, neque dicis illi esse furem, neque dicis non esse. Secundus est suspicio, quando animus non haeret omnino suspensus, sed in partem alteram inclinat, nondum tamen assentitur absolute. Tertius est opinio, quando determinate assentitur vni parti, sed tamen cum aliqua formidine oppositi: ut, *Petrus omnino furatus est, sed posset tamen decipi*. Quartus est iudicium firmum, assensus scilicet sine formidine oppositi. Sequitur deinde sententia, siue interni iudicii patefactio, quae proprie pertinet ad iudicem. De illis quatuor magnopere interet scire, an & quomodo sint peccata, praesertim mortalia, de quo dixi secunda secunda, agens de obligatione restituendi famam, ubi

Iudicij te-  
merarij  
malitia.

Statuebam primum iudicium temerarium de graui malo proximi semper esse peccatum mortale, modò adfit aduertentia tui ipsius iudicii, tui insufficietiae motiuorum, sic enim cum S. Th. Theologi omnes statuunt ut

A certum, clamate Christo & probate Matt. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*. Rationes modò non moror; manifestum enim est hanc esse grauem iniustitiam.

Statuebam secundò, opinionem, suspensionem, & dubitationem de alterius graui malo esse saepe peccata grauiora, quando sunt valde temeraria; quia illi actus sunt saepe valde iniuriosi proximo, cui etiam molestissimi sunt; habet enim quisque ius ut male de illo non iudicemus, aut opinemur quandiu non dabitur causa sufficienter ita iudicandi, aut suspicandi. Imò verissimum est, quod addit DD. causa illorum iudiciorum, & suspensionum esse secretum odium & inuidiam.

Statuebam tertio, haec iudicia excusari aliquando à peccato graui ex defectu aduertentiae ad iudicium & suspensionem, si materia sit leuis, de qua iudicatur; si motiua non sint quidem omnino certa, sed probabilia tamen, ita ut sufficere quidem non possint ad iudicium certum, sed ad iudicium duntaxat probabile, quod absque peccato elici poterat. Idè dico de suspicionibus & opinionibus; si enim suspicer cum fundamento sufficienti ad suspensionem, non tamen ad iudicium, tunc nullo modo pecco.

Certum est secundò, iudicium quod proprie dicitur esse actum iustitiae, non esse duntaxat sententiam illam internam, quam priuatus quilibet in animo profert de bono vel malo proximi, sed esse sententiam exterius prolatam à iudice, quae definit quid cuique sit debitum in omnibus controuersis contractuum, aut delictorum. Imò significat totam illam causae discussionem fieri solitam in tribunalibus, & sententiam deinde à iudice prolatam; qui sine dubio actus est nobilissimus imperatus à virtute iustitiae obligantis iudicis ad eum eliciendum, multò magis quam obliget debitorem ad solutionem debiti.

Porro in celeberrimo illo actu iudicii, ubi de delictis fertur sententia iusta vel iniusta, quinque interueniunt personae, de quibus singulis multa disputari solent. Iudex, accusator, testis, reus, & advocatus. Mihi, aliis omissis, duo tantum videntur scitu dignissima. Primum circa iudicem, an & quomodo damnare possit eum, quæ certò nouit esse innocentem, si ex allegatis & probatis secundum totam formulam iuris conuincatur esse reus. Secundum circa ipsum reum, utrum ille teneatur confiteri quoties iudicè illum iudex interrogat, etiam si de capite ipsius planè agatur.

Dico primum longè videri probabilius, quod iudex nunquam capite damnare potest eum quæ ex scientia priuata certò nouit esse innocentem, quatumvis secundum allegata & probata publice proberetur nocens; licet in aliis causis, ubi non agitur de vita vel mutilatione, teneatur illum condemnare, postquam adhibita omni diligentia non potest accusatores falsitatis conuincere.

Primam partem probat Petrus Nauarr. lib. 2. c. 3. Quia n. 161. Eman. Sà verbo Iudex, Lessius c. 29. Aulic. no. Adrian. Angelus, Hostiensis, Panormitanus, & alij, agunt de vita & membris. Contrariū docent plerique cum S. Thoma 4. q. 67. art. 2. Ratio autè optima videtur, quia iudex non potest ex scientia illa publica eum condemnare, quæ certò nouit esse innocentem, si Respublica neque illi dedit, neque dare potuerit illam potestatem: sed Respublica neque illam dedit facultatem, neque dare potuit; ergo iudex non potest illum damnare. Maior videtur ex terminis nota. Probatur minor. Respublica non potuit dare potestatem iudici occidendi eum, quoties conuinceretur in iudicio esse reus, in cuius vitam ipsa nulla habet facultatem: sed in vita innocentis Respublica nullum habet ius; Deus enim solus est Dominus vitae, ac mortis: ergo Respublica non potuit dare potestatem iudici occidendi innocentem. Sed neque potuit statuere formam iudicii, quæ si seruaretur, occidi deberet innocens; lex enim illa esset omnino iniusta, & ab omnibus damnaretur: ergo manifestum est, quod Respublica non potest decernere



# Quæst. III. Sect. IV. de Actibus iustitiæ. 601

ut occidatur ille qui pro certo est innocens, quoties feruaretur talis forma iudicij.

Deinde argumentor cum Lessio. Tam est intrinsecè malum occidere directè eum, quem scio esse innocentem, quàm accedere ad non suam: sed quantumvis probetur talem mulierem esse tuam uxorem, non potes tamen ad illam accedere, si certò noli eam non esse tuam: ergo neque licet occidere directè illum qui scitur esse innocens, quantumvis falsò probetur esse nocens. Sed index directè innocentem occideret, si eum occideret, quem certò nouit esse innocentem; quia tunc non intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui per accidens illa sit coniuncta; sed intendit solum ipsam occisionem innocentis, in quem fertur sententia; ubi enim est ille alius actus distinctus? In quo est maxima disparitas illius qui oppugnans urbem rebellem, dirigit tormenta in eam partem ubi collocati sunt innocentes; intendit enim diruere muros urbis illius; cui ruina per accidens est coniuncta mors innocentium. Vides ergo hic duos actus; in casu autem nostro non est nisi sententia damnans innocentem.

De causis minoribus quid statuendum.

Secunda pars de causis, ubi non agitur de vita & membris proximis, sed solum de bonis fortune, communis est inter Doctores, qui probant ex eo quod Respublica, ut constat ex usurpationibus, habet auctoritatem transferendi bona fortunæ ab uno in alium, quoties bonum publicum id exigit: ergo habet auctoritatem statuendi formam iudicij, quæ seruata transferantur bona fortunæ unius in alium; commodum enim publicum exigit ut feruatur certa quædam & fixa forma iudicij, neque unquam perueratur: ergo potest imperare iudici, ut tunc damnet innocentem, transferendo eius bona in alium. Vbi est magna disparitas inter vitam innocentis, & alia eius externa bona; in vitam enim eius Respublica nullum unquam habet, habet autem in eius externa bona.

Difficultas.

Obicitur. Ille qui non agit nisi ut persona publica, non potest uti scientiâ priuatâ, sed publicâ tantum: iudex non agit in iudicio nisi ut publica persona: ergo iudex non potest ex scientiâ priuatâ dimittere illum, quem ex scientiâ publica nouit esse nocentem, quantumvis ex scientiâ priuatâ cognoscat illum esse innocentem.

Respondeo distinguendo maiorem. Ille qui non agit, nisi ut publica persona, non potest uti scientiâ priuatâ, sed publicâ tantum, si pro certo tunc nouerit illam scientiam publicam esse iniquissimum errorem & calumniam, negatur maior; quando illud certò non nouit, conceditur maior. Alioqui quod est statutum ad seruandam iustitiam, feruaret iniuria. Scio alia plura obici, sed leuia illa sunt, & solui facile possunt. Inde autem constat, quomodo iudex etiam supremus non possit damnare illum, quem nouit esse nocentem, si probetur esse innocens secundum formam iudicij, quam etiam tenetur seruare, quoties non timeatur maius aliquod malum.

Dico secundò, reum, cui gravis aliqua pena imminet, si iuridicè non interrogetur ab ipso iudice, vel si dubitet utrum interrogetur iuridicè, non teneri aperire veritatem: imò videri admodum probabile, quod etiam interrogatus iuridicè, saltem mortaliter non peccat, si crimen non fateatur, sed utatur aliqua restrictione mentali.

Si non interrogetur iuridicè.

Primam partem omnes tenent Doctores, quia quoties iudex non agit ut iudex, non potest obligare illum quem interrogat de crimine: sed quoties iuridicè non interrogat, non agit ut iudex, quia non habet iudicis auctoritatem, nisi quando

R. P. de Rhodes cur. Philosoph.

A seruat formam iuris: ergo tunc quando non interrogat iuridicè, non obligat reum ad aperendam veritatem. Tunc autem iudex iuridicè non interrogat, quando non sunt iudicia competentia; & probatio semiplena, non enim placet quod aliqui dicunt de publica fama criminis; illa enim locum dumtaxat tenet accusatoris aut denunciatoris, quod non est satis ad interrogationem iuridicam; ad eam enim requiritur haud dubiè probatio criminis semiplena, & iudicia prorsus competentia, ut reum conuincant de patratò crimine.

B Secunda pars non est minùs certa, quamvis paucos habeat aduersarios. Ratio est, quia nemo tenetur cum damno suo graui parère illi, quem dubitat non esse superiorem, & non habere auctoritatem imperandi; libertas enim tunc certa est & possidet; lex autem est dubia, id est præceptum est dubij superioris. Sed quando reus dubitat, utrum iudex ipsum interroget iuridicè, dubitat de auctoritate superioris: ergo quoties de eo dubitat, potest cessare crimen, neque tenetur respondere ad illius mentem.

C Tertia pars totam continet difficultatem, quia video communissimam esse Doctorum ferè omnium sententiam cum S. Thoma 2. 2. q. 69. art. 1. reum qui nouit se interrogari iuridicè, teneri fateri veritatem criminis, quamvis capite plestendus sit; ex quo etiam fiet, ut Confessarius nò possit absoluerè eum qui crimen negat pertinaciter tunc quando eo modo interrogatur. Sed aliquibus tamen satis dura videtur tanta illa obligatio, quam absolute negant Panormitanus, Syluester, & Angelus. Mediam verò viam tenent Petrus Nauarra, Lessius, Emanuel Sà, Bonacina, & quidam alij, dicuntque non teneri reum sub mortalis peccati pena fateri hoc modo veritatem, neque teneri Confessarium ad id obligare reum, saltem quandiu est euadendi aliqua spes. Quæ tertia sententia præ alijs placet.

Quid si scias se interrogari iuridicè.

Ratio autem quæ id omnino suadet, est quia Probatio. præceptum illud non potest esse iustum, quod ita est difficile, ut nullo modo sit accommodatum humanæ conditioni: atqui præceptum illud fatendi crimen quando spes est euadendi mortem, est ita difficile, ut non sit accommodatum humanæ infirmitati; nam ex mille hominibus sic interrogatis vix vllum inuenias qui crimen non neget ad penam mortis fugiendam: ergo illud præceptum, saltem sub mortali, non esset iustum: ergo tunc iudex non potest obligare reum ad fatendam veritatem cum tanto incommodo suo. Vnde meritò dicitur in lege nimis graue, D. de testibus, neminem teneri contra se exhibere id per quod negotium fiat. Imò constat ex variis iuribus, quod nemo tenetur testificari contra sanguine iunctum; filius y. g. contra patrem, & pater contra filium; hoc enim pugnat cum iure naturæ, & cum inclinatione rationabili tuèdi proximis: ergo multò minùs tenetur aliquis cum periculo mortis testificari contra seipsum. Aliter statuunt prædicti Doctores de illo, qui spem euadendi non habet: sed hoc videtur adhuc valde dubium, propter humanam infirmitatem, cui est molestissimum aperire publicè peccatum suum. Sed fateor tamen sententiam contrariam, quæ asserit obligari reos fateri crimina, quando interrogantur iuridicè, admodum probabilem esse, quia communior est, & habet Auctores omni exceptione maiores.

Obicitur ab istis Auctoribus. Vnusquisque tenetur obedire superiori legitime præcipienti: sed in oppositum. iudex interrogans iuridicè, superior est, & legitime præcipit quando interrogat reum seruans ordinem iuris: ergo reus tenetur illi obedire aperiendo veritatem. Deinde iudex habet ex auctori-

Difficultas. sed in oppositum.

E E e tate



tate potestatem interrogandi: ergo reus tenetur illi respondere.

Respondeo concessa maiori, negari posse minorem; iudex enim non potest præcipere legitimè reo vt aperiat veritatem cum periculo vitæ suæ; bene quidem reum interrogat, vt fungatur officio; sed interrogando non obligat reum vt contra ius naturæ manifestet crimen vnde imminet ipsi certa mors. Habet ergo iudex facultatem interrogandi; sed nego hinc sequi quod reus habeat obligationem respondendi cum tanto damno suo; sicut iudex habet potestatem legitimam detinendi reum in carcere, sed reus non obligatur in eo manere; fugiet enim si possit. Potest iudex citare reum ad iudicium, ad quod tamen ille non tenetur comparere. Nullum ergo ibi est præceptum grauius obligans.

## SECTIO V.

### De virtutibus iustitiæ annexis.

Partes potestates iustitiæ.

Certum est primò, quod iustitiæ strictè sumptæ, de qua dixi hæcenus, plures virtutes sunt annexæ, quæ sunt partes eius veluti potentiales; quia licet totam eius essentiam non participant, imitantur tamen aliquo modo eam, & participant aliquam eius partem: habet videlicet iustitiæ, quod sit ad alterum, quod respiciat debitum strictum, & perfectè ad æquabile. Virtutes omnes, quæ annexantur iustitiæ, sunt ad alterum, & respiciunt aliquid debitum; sed non respiciunt debitum quod possit ad æquari, vt religio erga Deum, & pietas erga parentes; vel non respiciunt debitum strictum & obligans ad restitutionem, vt gratitudo & amicitia.

Quenam illa sint.

Certum est secundò, decem numerari solere virtutes religioni annexas eo modo: quatuor earum respiciunt debitum quod perfectè nequit ad æquari, religio, pietas, obsequantia, obedientia: sex alia respiciunt quod non est strictum, sed morale tantum, amicitia, gratitudo, vindictio, veritas, liberalitas, æquitas, seu *ἐπιεικεία*. De illis singulis videtur esse inutile dicere; religio tamen & amicitia non videntur posse omnino omitti.

## S. I.

### Religionis quidditas, obiectum, & proprii actus.

Religionis definitio.

Dico primò, religionem, siue dicta sit à relegendo, vel à reeligendo, vel quod est verius, à religando, definiti rectè posse, *Virtus est specialis moralium omnium prima & nobilissima, qua Deo vt supremo Domino, & primo principio rerum omnium debitum cultum exhibet.*

Religio est virtus.

Primò dicitur virtus, id est habitus cum recta ratione electius, vel etiam habitus reddens bonum cum à quo habetur, & opus eius laudabile. Nihil enim iustius & rationi conformius esse potest, quàm vt supremo Domino vile mancipium honorem exhibeat cum quadam sui subiectione; nihil æquius, quàm vt primo principio, à quo sumus, propter quod sumus, ex cuius munificentia sumus conditi, per quod in esse detinemur ne defluamus in nihilum, de cuius bonis viuimus, deferamus obsequia nostra, & cultu debito testificemur quantum à nobis honorem promereatur. Si enim honore digni sunt Princeps propter potentiam, Nobiles propter profapiam, Docti propter sapientiam, benefici propter munificentiam, Domini propter dependentiam; quis honor debitus erit primario principio,

A fini vltimo, Monarchæ potentissimo, sapientissimo, amantissimo, in quo omnia, per quem omnia, ad quem omnia? Sed religio tota in eo versatur, vt eum deferat honorem Deo, quo dignus vt principio à quo pendemus magis quàm radius à sole, quàm impressio sigilli facta in aqua à sigillo, vt Domino, cui debemus nos ipsos totos; excogitat enim cultus omnes hæc virtutes, quos creatura potest exhibere Deum eleuando supra seipsum, & abiiciendo se infra illum: ergo religio vera est virtus, cuius proprius character est ea prosequi, quæ sunt rationi conuenientia; proprius effectus reddere laudabilem eum in quo est, & opus eius laudabile: nihil autem laudabilius quàm laudare eum, in quo sunt omnia quæ laudari possunt.

B Secundò dicitur *specialis virtus*, distincta tum à virtutibus Theologicis, quarum obiectum formale immediatum est increata perfectio; tum ab aliis moralibus, quæ non in eo versantur vt Deum honorent, quia honestum est illum honorare, & se illi submittere. Religio autem mediata duntaxat versatur circa diuinam excellentiam supra nos; obiectum enim eius immediatum non est nisi honestas; Deum enim colit, quia honestum est colere primum illud esse illimitatum, ac fontem suum quasi coronare, vt probabam in proprio tractatu de virtutibus Theologicis. Iustitia reddit homini quod suum est, id est id quod ei ab homine debetur; humilitatis officium est hominem submittere infra Deum, aut infra reliquos homines; quia hoc congruit eius vilitati, vt intra humilitatis fines se contineat, neque per elationem prodeat extra eos. Religionis proprium est munus, vt homo sui submissione honoret Deum, quia hoc honestum est, & rationi congruum. Charitas immediate Deum honorat, quia honor ille bonum est Dei summè digni; religio immediate Deum honorat, quia honestum est propter eius excellentiam. Habet ergo Religio speciale morium: ergo est virtus specialis.

D Tertiò dicitur *moralium omnium prima*, vt potest affinis charitati theologicæ, & tantum non theologicæ. Probatur à S. Thoma 2.2. q. 81. art. 6. quia propinquior est religio, vt dixi, virtutibus theologicis, quàm alia vlla virtus: quod autem magis accedit ad id quod magis perfectum est, perfectius etiam est. Deinde obiectum eius, tum formale, tum materiale, perfectius est quàm obiectum vltius alterius virtutis; remotum enim obiectum eius est vniuersitas illa, increata perfectionis pelagus, essentie interminum, oceanus ipsius pulchri, & omne bonum; hoc autem infinite superat omnia creata bona. Deinde honestas cultus tantæ maiestatis debet superat etiam alias omnes honestates, quia nihil magis potest esse debitum quàm honor debitus eum maximè honorabili. Denique idem probat officium & effectus huius virtutis; illius enim munus proprium est coniungere hominem cum Deo primo principio & supremo Domino; vnde vocatur religio, non quod supponat separationem creaturæ à creatore; sed quod creaturam rationalem, quæ ligata Deo est per dependentiam essentialem, relinquet per voluntariam subiectionem; est enim veluti secundus modus hominis cum Deo, cui cum sit necessariò subiectus, iterum subicitur voluntariè.

E Quartò dicitur virtus, *qua Deo exhibet cultum*; quibus verbis exprimitur proprium obiectum materiale circa quod versatur religio; cultus enim honor est alteri exhibitus cum quadam submissione; nam honor genericum nomen est, significans testimonium excellentie alterius, seu signum quo alterius significamus excellentiam:



# Quæst. III. Sect. V. de Virtutibus iustitiæ. 603

lentiam: illud signum si coniunctum sit cum submissione ac subiectione illius qui honorat, dicitur cultus, quem religio exhibet Deo significando supremam eius excellentiam voluntaria sui submissione. Itaque in actu religionis duo interueniunt actus intellectus. Primò consideratio supremi dominij & excellentiæ Dei, à quo pendent omnia; & consideratio nostri nihili, continuæque ab eo dependentiæ. Deinde profunda mentis submitio, quâ mens testetur vtrumque illud. Denique eorundem professio exterior verbis, gestu corporis, & aliis huiusmodi, quibus significamus interiorem submissionem. Duo actus intellectus præuij sunt actui religionis; tertius & quartus verò ad illam pertinent, suntque cultus ille Deo exhibitus à religione, submitio videlicet, & exterior eius nota; actus videlicet voluntatis, quo voluta est inclinatio illa honoraria, & eius executio, quæ potest esse vel exterior in corpore, vel interior in actu aliquo intellectus, quo significo illam meam dependentiam à Deo. Breuius dici potest compleri actum religionis per Dei estimationem, & signa illam manifestantia.

**Obiectum formale proximum.** Quintò dicitur, *virtus exhibens cultum debitum Deo*; illud enim est formale obiectum, propter quod religio Deum colit, & se illi subiicit, quia scilicet hoc est honestissimum, id est Deo debitum strictissimè, aded vt debitum illud sit, vt dixi nuper, omnium primum, omnium strictissimum, omnium vniuersalissimum.

**Obiectum formale remotum.** Sextò dicitur, *debiti Deo vt primo principij & supremo Domino*; hæc enim est ratio propter quam debet creatura exhibere honorem Deo cum submissione; excellentia videlicet supremi Domini, & principij primi, à quo fluunt & pendent omnia: & hoc est obiectum formale religionis, sed remotum tantum, ceteris Deus est obiectum formale cui, vt sape dixi. Spectat nimirum, & exhibet religio cultum Deo, qui non est specie diuersus propter diuersa Dei attributa, nec propter beneficia diuersa; quia religio colit Deum vt principium vniuersalissimum, quod includit necessariò vniuersas perfectiones, ac proinde sub quacumque diuina perfectione colatur Deus, sub eadem semper colitur ratione formali primi principij.

**Actus religionis.** Dico secundò, actus religionis proprios alios esse internos, alios externos. Interni rectè à S. Thoma numerantur duo, deuotio & oratio. Externi sex, adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, oblatio primitiarum, donorum & decimarum, adiuratio: laus verò & gratiarum actio partes quædam sunt & species orationis.

**Probatio assertionis.** Ratio vniuersim est, quia illi omnes actus pertinent ad officium religionis, qui possunt elici à voluntate ad protestandam & significandam estimationem nostram de diuina excellentia, & de subiectione ac dependentia nostra ab eo. In illis omnibus actibus, quos enumeravi, significamus vtramque illam estimationem, & illam protestamur, quod est Deo se voluntariè submittere; nam per deuotionem homo seipsum tradit & mancipat, & offert in cultum Dei, quod est seipsum deuotè Deo vt mancipium. Per orationem significamus Deum esse authorem & fontem vniuersi boni, quod sperare possumus, & sic postulamus ea quæ nondum habemus; gratias agimus ob ea quæ accepimus, laudamus benefactorem, timemus iniuriam. Per adorationem protestamur & significamus nihilum nostrum & seruitutem. Per sacrificium significamus eius dominium in mortem & vitam. Per votum, iuramentum, oblationes, & cæ-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

**A**tera huiusmodi officium idem præstamus: ergo illi omnes actus pertinent ad virtutem religionis. Addit Valentia, posse nos significare diuinum dominium, & nostram subiectionem subiiciendo illi tria genera honorum, quorum possumus habere dominium aut vsum; sunt enim vel animi bona, vel bona corporis, vel externa: in octo illis actibus hoc obsequium exhibemus Deo: animi bona deuotio, oratio, votum & iuramentum subiiciunt Deo: bona corporis adoratio exterior; bona externa sacrificium & oblationes.

**B**Deuotio vel significat specialem actum huius virtutis, vel generalem quandam conditionem & circumstantiam, quæ perficit & nobilitat quemlibet actum internum elicitum à virtute religionis. Quando significat actum specialem religionis, non est aliud quàm interna quædam & absoluta sui traditio ad diuinum cultum, siue id fiat sine voto, siue (quod est perfectius) id fiat cum voto; tunc enim deuotus aliquis dicitur esse alteri, cum totum se tradit ad eum colendum, & ei seruendum. Vnde vides nullam esse posse deuotionem perfectiorem eâ quæ in votis religiosi exercetur.

**C**Deuotio autem secundo modo sumpta pro circumstantia, & conditione cuiuslibet actus huius virtutis, qui per eam mirabiliter perficitur, est affectus feruens & promptus ad exercendos actus omnes, quibus Deus colitur per virtutem religionis; vnde illa reperitur in oratione, adoratione, sacrificio, voto, & aliis, si cum ingenti & prompto affectu illi actus exerceantur; quia scilicet deuotio hæc ita generalis signum est illius alterius, quàm homo totum se obtulit & tradidit ad Dei cultum. Requirit igitur deuotio feruorem & promptitudinem. Feruor est affectus vehemens & intensus ad obeundos istos actus diuini cultus, & ad eos rectè obeundos. Promptitudo est affectus absolutus & deliberatus exercendi vt decet actus quibus Deus colitur, vincendo timorem, fugam, tergiversationem voluntatis, & alia quæ retardant ab eorum actu executione. Fructus huius deuotionis est dulcedo & delectatio in illis obeundis, quæ reperitur tum in parte superiori ipsius animæ, pertinetque ad deuotionem substantialem; tum etiam aliquando in parte ipsa inferiori, quam irrigat pars superior adiuuante gratiâ, & infundit suam læticiam, vt cor & caro exultent in Deum viuum; & hæc est quæ vocatur deuotio sensibilis. Denique causa vnde profuit, & à qua prodit ista deuotio, est, inquit S. Thomas, consideratio tum diuinarum perfectionum & beneficiorum Dei erga nos; tum indigentia ac miseriæ nostræ, quæ continuo Dei auxilio eget. Hæc efficiunt voluntatem feruentem & promptam ad exercendos frequenter & rectè actus diuini cultus.

**E**Oratio vniuersim sumpta rectè definitur à Damasceno, *Ascensio mentis in Deum*. Propriè oratio est decentium à Deo petitio. Dicitur *ascensio mentis*, vel (vt ait Augustinus) ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium; quia scilicet tunc oramus, quando ex affectu colendi Deum cogitamus res supernas & inuisibiles, & erga eas afficimur; consideratio enim & affectus in qualibet oratione reperiuntur; siue illa consummetur interiùs in anima, & sit mentalis; siue sit vocalis: nam sine attentione & affectu inanis est, imò nulla oratio. Sic autem sumpta oratio continet modos omnes orandi, quos commodè Doctores ex Apostolo tres potissimum esse volunt. Primus sit per modum laudis, & complectitur actus illos, quibus Dei magnitudinem extolli

Deuotio.

Deuotionis acceptio altera.

Oratio.

E e 2 extolli



extollimus, admiramur, adoramus, benedicimus, glorificamus, amamus, aliis omnibus præferimus, & consideramus eum ut est in se bonus. Secundus fit per modum gratiarum actionis, & complectitur eos omnes actus, quibus Deo nos profitemur debere omnia, & eum consideramus ac amamus ut est nobis bonus. Tertius fit per modum petitionis, quam dixi esse rationem propriæ ac strictæ sumptam; est enim illa explicatio desiderij nostri, seu loquutio, quâ explicamus desiderium nostrum de re aliqua obtinenda à Deo, & rationes ob quas moveri potest ad illam tribuendam; non enim eo fine fit, ut Deus sciat meum desiderium & illas rationes, sed ut moveatur ad illam tribuendam. Non est igitur oratio formaliter actus voluntatis, quia desiderium præit orationem; illa verò est loquutio, tum interna, id est actus intellectus explicans illud desiderium eo fine ut Deus moveatur; tum etiam aliquando externa, si verbis etiam oratio perficiatur. Reliqua de oratione tractantur mirabiliter à Doctoribus, quia vitæ huius beatitudo, & via ad beatitudinem alterius vitæ, sine dubio est sedula & feruens oratio.

Reliqui  
actus reli-  
gionis.

Adoratio, sacrificium, votum, oblatio, iuramentum, & adiuratio longam requirerent tractationem; quæ neque nostri est instituti, nec nostri cuij: sicuti & vitia religioni opposita longum esset hic ponere; alia enim sunt per excessum cultus, & generali nomine dicitur superstitio, qualis est idololatria, divinatio, magia; alia per defectum vel contemptum, qualia sunt periurium, tentatio Dei, sacrilegium, simonia.

## §. II.

*Amicitia quidditas, species, proprietates, & cause.*

Soleo de mundo tollant, qui auferunt ex mundo amicitiam, inquit Tullius; quia scilicet nihil in tota humana societate pulchrius, nihil verò iucundius, & utilius est quàm amicitia conciliatrix animorum, virtutum nutritrix, parens felicitatis. Explicat illam mirabiliter Philosophus lib. 8. & 9. *Ethicorum*, ubi docet illam esse veluti fructum virtutis, ostenditque cap. 1. Philosophum morale debere illam declarare docendo quid illa sit, & quàm varia, quas proprietates habeat, & per quas causas generari & conservari possit.

Amicitia  
quidditas.

Dico primò rectè definiri amicitiam, *Est mutua plurium benevolentia, non latens, ipsorum gratia, & fundata in communione aliqua bonorum.* Ita Philosophus lib. 8. cap. 2. 3. & 4.

Primò enim amicitia est benevolentia, quâ scilicet volumus alteri bonum, gaudente de bono quod alter habet, desiderando & procurando bonum quod non habet, dolendo & compatiendo de malis, & illa pro viribus auertendo. Obiectum videlicet amicitia bonum est, quia est id quod amamus, & id propter quod amamus. Volo amico bonum propter bonum quod in ipso est; amo enim, quia dignus est, & amare non aliud est quàm velle bonum.

Fundatur in  
virtute sola.

Quia verò triplex est bonum, inquit ibidem Philosophus cap. 3. triplex quoque distingui potest species amicitia, quia ob vnumquodque ex illis bonis amamus, vel etiam vnumquodque ex illis bonis est id quod volumus amicis. Primò autem amicitia, quæ fit ob iucundum & utile, non est amicitia nisi per accidens; quia propter ea non amatur amicus, quâ talis. Deinde non

A sunt durabiles omnes huiusmodi amicitia; eas facile contrahunt & dimittunt senes & iuvenes; illi ob utile; isti ob iucundum. Secundò ergo sola bonorum amicitia vera est amicitia, quia fit propter bonum honestum, quod amico inest. Neque sunt tales amicitia mutabiles, quia virtus permanens est. Continet etiam hæc amicitia utile ac iucundum aliarum, quia virtutis actus sunt gratissimi homini iusto. Denique in amicitia huiusmodi omnia insunt quæ amicis inesse oportet; utile ac iucundum. Vnde concludit Philosophus primò, quod hæc amicitia raræ sunt: secundò, quod ad eas faciendas multo tempore opus est. Additque cap. 4. quomodo differant hæc amicitia. In amicitia videlicet illa vera locum non habet calumnia, sibi motu credunt amici, iniuriam non faciunt. Tria bona ei coniuncta sunt: in aliis eorum nihil reperitur.

B Secundò amicitia est benevolentia mutua; si enim non amas & redamaris, amicus non esset ad summum benevolus. Amicitia saltem inter duos, est, quos in vnum colligit existens in utroque amor. Deinde benevolentia illa mutua est, non latens; quia utrique amico nota est; amamus quidem aliquando etiam ignotos, sed benevolentia illa solum est, non amicitia. Denique fundatur amicitia in communione aliqua peculiari eorundem bonorum, quæ cōmunio & consociatio est causa amandi alterum sicut seipsum, & comiter cum illo tractandi. g. inter milites est amicitia propter societatem militiæ: inter eruditos ratione communio in eruditione, &c. Interdum autem communio est causa inimicitia per accidens, quia bonum vnius impedit alterius bonum. Hinc dictum illud ab Hesiodo, quod figulus figulum odit, & faber fabrum.

Dico secundò, amicitiam in varias species bene diuidi. Primò enim diuiditur in amicitiam excellentiæ, & amicitiam parium: secundò in amicitiam civilem & priuatam: tertio in amicitiam fœdalitiam & consanguineam.

Primò ergo amicitiam excellentiæ Philosophus explicat lib. 7. cap. 8. eamque definit esse, quæ persona inter se inæquales mutuò amant. Oportet autem, inquit, omnem amicitiam excellentiæ fieri cum proportionem secundum dignitatem personarum, ita ut dignior magis ametur quàm amet, quia sic fit æqualitas, quæ amicitia propria est; illa enim partes aut inuenit, aut facit. Vnde fit, inquit, ut si maxima inter amicos sit distantia, cesset amicitia: vnde videretur fieri quod amici non deberent velle amicis maxima bona. Deinde cap. 14. explicat querelas, quæ accidunt in amicitia excellentiæ; tunc enim sunt, cum quisque minus accipere se putat quàm pro statu suo debeat. Vitantur, cum plus vtriusque tribuitur; excellenti quidem plus honoris, egenti autem plus lucri. Capire verò 13. querelas explicat, quæ accidunt in amicitia parium, cum scilicet non redditur beneficium; omnes enim, vel plurimi volunt quidem honesta, sed anteponunt tamen ea quæ profunt. Ut hæc querimonia vitentur, oportet æquale reddere, aut maius.

E Secundò civilem amicitiam explicat 6. 9. 10. 11. nam omnis, inquit, amicitia fundatur in aliqua civili societate, seu communitate bonorum: vnde fit ut amicitia & iustitia circa idem versentur, & similiter incrementa capiant. Omnis porò societas humana est pars aliqua civilis societatis; igitur omnis amicitia pars esse videtur amicitia civilis, quæ in omni rectè instituta Republica plurimum viget. Imò in singulis tantum est amicitia, quantum est iusti. Pergit autem 6. 11. dicere qualis sit amicitia Regis erga subditos, patris erga filios; & quomodo varia



# Quæst. III. Sect. V. de Virtutibus iustitiæ. 605

varia sit secundum triplex genus gubernationis amicitia.

**Confangui-** Tertiò amicitiam fodalitiam, & consanguineam  
**nea, & loda-** explicat *cap. 12.* Illa est quæ fundatur in aliqua  
**litia.** pactione aut conuentione; ista fundatur in natura. Parentes videlicet amant filios vt aliquid sui, vel potiùs vt seipsos; qui enim ex ipsis orti sunt, sunt quasi ipsi, & tamen alij sunt separatione. Hinc fit vt parentes plus ament filios quàm ab ipsis amentur, quod probat quatuor rationibus. Amant etiam mutuo fratres, quod ex iisdem sint orti: vnde cum tertio illo habentes identitatem, illam habent etiam inter se; sunt enim quodammodo idem in diuifis. Iuuat illam, quod nutriti sint simul, & sint æqualis ætatis. Reliquorum consanguineorum amicitia est similiter, quia sunt ex iisdem. Denique filiorum in parentes amicitia est vt ad bonum excellens, propter magna eorum beneficia.

**Proprieta-** Dico tertiò, proprietates amicitia istas com-  
**tes amicitia.** modè dici posse, quod sit maximè necessaria, quod honestissima, quod iucundissima, quod innumeris utilitatibus plenissima.

**Necessitas.** Primò necessitatem amicitia proponit *lib. 8. c. 1.* Est enim, inquit, illa omni hominum generi maximè in vita necessaria. Primò in ciuitatibus, idè legumlatores magis circa hanc, quàm circa iustitiam student; si enim sunt amici, non egent iustitiâ; si sunt iusti, egent amicitia; & id quod maximè iustum est, ad amicitiam attinet. Secundò viris felicibus est necessaria; nemo enim habens cætera omnia bona, sine amicis expeteret viuere. Idem multis eximiiis rationibus probat *lib. 9. c. 9.* Tertiò miseris necessaria est, quia egent solatio, &c.

**Honestas.** Secundò eius honestatem ibidem explicat, quia honestissimum est habere amicos, cum amicitia fundetur in virtute; est autem optimum amari & amare. Sed meliùs tamen est amare quàm amari. Communiter tamen homines magis expetunt amari quàm amare; quia scilicet amari est honorari, quamvis amari melius est, quàm honorari, cum amor expetatur propter se, honor autem in ordine ad aliud. Amicitia tamen magis consistit in amare.

**Iucunditas.** Tertiò, iucunditas amicitia habetur *lib. 9. c. 12.* Nihil enim, inquit, iis qui amant, iucundius esse potest quàm simul versari, quia ex oculis maximè amor oritur, quia amor communicatio quædam est. Deinde gratum est videre se viuere: ergo & videre viuere amicum; imò amici cum amicis faciunt & communicant, quæ maximè amant: vnde sequitur, quod ex amicitia bonorum fiamus boni, ex improborum amicitia improbi, propter communicationem & exemplum.

**Vtilitas.** Quartò amicorum utilitas exponitur *lib. 9. c. 11.* amicum enim experibilem esse, tum in prospera, tum in aduersa fortuna, constat. Disputat

A autem in vera sit experibilior, concluditque quod in aduersa magis sunt amici viles; in prospera boni. Addit autem quod in aduersis tardè vocandi sunt amici, in prosperis verò statim. Contra verò in aduersis amicorum, statim ad illos accurrendum est, in prosperis tardiùs. Breuiter & verè Cicerò: *Non aqua, non igne pluribus locis vitimur, quàm amicitia.*

Dico quartò, causas quæ amicitiam ingenerant & conseruant esse tres potissimum, beneuolentiam, concordiam, beneficentiam & beneficiorum re-  
**Causæ ami-**  
**citiæ.** pensionem. Explicat illas optimè Philosophus *lib. 9.*

Primò beneuolentiam explicat *cap. 5.* Quæ non est amicitia, inquit, sed principium amicitia; sit enim repente, est ad ignotos, est aliquando latens; pro illis sape, quibus beneuoli sumus, nihil vellemus agere. Parit autem amicitiam, quia vt rectè ait Seneca, amatorum sine medicamento, sine vilius herba veneficæ, si vis amari, ama.

Secundò de concordia disserit *cap. 6.* Non est autem circa res speculativas, sed de actionibus idem sentire & velle; at cum vterque seipsum vult, seditionem habent. Est verò concordia in bonis; nam & secum quisque horum conuers est, & omnes inter se sunt concordēs, quia in eisdem omnino sunt. Talium etiam voluntates non refluunt, vt ait Eurippus; voluntque semper iusta, quæ profunt: prauos autem concordēs esse impossibile est, quemadmodum nec amicos.

Tertiò beneficentiam explicat *cap. 7.* probatque eos qui contulerunt beneficia, magis amare illos quibus contulerunt, quàm ab iis amentur. Quia scilicet hi qui amantur, sunt opus eius qui fecit beneficium; magis autem amamus opera nostra, quàm ab illis amemur. Deinde iucundius est honestum, quàm vtile; res etiam præsens est iucundior quàm præterita; honestas dati beneficii manet, præterit vtilitas. Memoria enim rei honestæ gratior est, quàm rei vtilis memoria; expectatio verò contrà. Præterea quæ cum labore sunt, magis diligimus, &c. Similiter etiam *cap. 4.* docet quod officiorum in amicos mensura sunt illa officia, quæ bonus sibi ipsi tribuit ex amore quem habet erga se; quia iustus & virtus omnium rerum mensura sunt; deinde, quia amicus est alter ipse. Deinde vir probus erga seipsum habet tria, concordiam, ratio enim eius cum appetitu conuenit; beneuolentiam, beneficentiam, complacentiam. Eadem exhibenda sunt amicis. In homine prauo contraria horum reperiuntur; est enim discors sibi ipsi, & semper in seditione; alia enim cupiunt vt prauis, alia volunt vt incontinentes; bona nec sibi faciunt, nec volunt. Improbis ergo ne erga se quidem amici affectus est. Hæc sunt quæ de amicitia explicat latè Philosophus *lib. 8. c. 9.*